

let illud imprimis, *veritas odium parit, obsequium amicos*: cùm interrogative etiam accipi possint eadem vocabula, ita ut peteret Pilatus sibi explicari, quidnam esset veritas. Paulus, quando ad Colossens. cap. 2. vers. 21. scribit, *Ne attigeris, neque gustaveris, neque contredaris*, non tanquam hæc asseverans & docens, sed narrans aliorum dicta, intelligendus est, ut vult Melanchthon loc. cit. adeoque hæc *μημνεῖσθαι* & recitativè esse interpretanda, tanquam exempla traditionum superstitionarum, quæ tamen aliqui oscitantes pro Pauli præceptis habent. Sed sat exemplorum transeamus ad Loquelæ considerationem, quatenus eam *membrorum motus & gestus* comitantur, quod alterum est generalis nostræ partitionis, in principio hujus paragraphi propositione, membrum. Hi autem gestus atque actus externi vel sermonis intellectum juvant duntaxat, vel planè absolvunt. *Juvant*, atque promovent in orationibus, quarum accidentia pronuntiationis variatione exprimuntur, de quibus proximè arbitrati sumus: Vix enim ironicam sententiam assequaris, nisi loquentis gestum cognoveris; sic etiam minantem orationem non intelliges, si eam comitantem manus motum nesciveris. *Planè absolvunt* in orationibus, in quibus pronomine demonstrativò, aut aliquâ simili particulâ res, nullâ aliâ voce antea in sermone expressæ, designantur, & simul loquentis digitò, aut alius membra motu ostenduntur. Sichæ sententiæ, *hujus aut tanti te non facio*, nequaquam capi possunt, si illud *hoc vel tantum à loquente aliquo gestu monstratum*, tibi non imagineris. Atque hinc male interpretati fuerunt Judæi verba Christi: apud Joannem in Euangeliō cap. 2. vers. 19: quando ipsis signum petentibus, quod mercatores flagellò è templô ejiceret, respondit; *Destruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud*; illa de Templô Hierosolymitanô intelligentes, cùm ille de Templô corporis sui loquebatur, quod forsitan etiam digitò, aut aliò membrò ostendit; cùm illi verbis suis gestus adjungere usitatum fuisse ex Johan. 20. vers. 19: 20. verisimile sit, ubi discipulos alloquens, manus & latus suum eis ostendit.

25. Ex quibus omnibus liquere putamus, non tam à ratione alienum esse Fabium, quando penultimum libri octavi suarum Institutionum caput in hunc modum orditur; *Amphiboliæ species sunt innumerabiles; adeò ut Philosophorum quibusdam nullum videatur esse verbum, quod non plura significat*: Nec qui huic suffragatur G. J. Vossium, Instit. Orator. lib. 4. cap. 1. sect. 10. A quibus non abludit Dannhayerus, cùm in Ide. Bon. Interpret. partis primæ sectionem secundam his verbis claudere incipit. §. 47. *Terminorum ac Orationum æquivocatio nihil est aliud, quam infinitarum perplexitatum pelagus. Quis enim varios ambiguitatum mæandros explicabit, aut quæ charta complectetur exempla solùm præcipua? Unde illud Poëtæ,*